

teste Fagnano, *ibid.*, n. 10, et in cit. c. *Pastoralis* 9, De his quæ fiunt a prælati sine consensu capituli, n. 32, et sic expresse Rota, *Recent. decis.*, par. v, tom. I, decis. 37, n. 4. (24. Intellige tamen quoad omnia supradicta: « Nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, et voluntate; » ut jam supra dictum est n. 14 et 15.

(25. Oblationes, quæ fiunt in ecclesiis regularium, quæruntur monasterio pro religiosis ibi servantibus. Rota, par. v *Recent. dec.*, tom. I, dec. 373, n. 11; Fagnan., *loc. cit.*, n. 34; Engel, lib. III *Decretal.*, tit. 30, n. 69; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 195; Abbas, in cap. *Theodosius* 1, De statu monachorum, et alii communiter; arg. cit. cap. *Theodosius* 1, De statu monachorum, ibi: « Cum monachis ibi servantibus debeat proficere quidquid a fidelibus offerri contigerit. »

(26. Unde oblationes, et eleemosynæ inter missarum solemnias possunt recipi a regularibus, qui possunt se vertere ad populum, et generalem confessionem pro eo facere, sistendo in medio altaris, non autem ab illo discedendo, et ecclesiam circumeundo. Sac. cong. Concil. in *Nullius Provincia Ravenanen.* 15 Septemb. 1629, apud Barbosam, in *Summa Apostol. decision.*, verb. Oblationes, n. 3; Aldan. et Novar. ibi citat.

(27. Parochi diebus festis possunt post offertorium in medio altaris vertere se ad populum, et invitando ad oblationes, manipulum, vel aliud præbere deosculandum offerentibus. At aliis sacerdotibus id non licet. Sic decrevisse sacram congregationem Concilii refert Fagnan., in cit. cap. *Pastoralis*, num. 40. (28. Parochi, stante consuetudine, possunt recedere ab altari post offertorium, et ad infimum locum ecclesiæ accedere ad recipiendas oblationes mulierum inibi existentium se junctim a maribus. Sic declaratum fuisse a Sanctissimo refert Fagnan., *loc. cit.*, num. 14.

(29. Sacerdotes novi non prohibentur in suis primis missis post offertorium in medio altaris ad populum se convertere, et oblationes accipere a sponte dantibus, sed perambulationes per ecclesiam, et extorsiones prohibentur. Sic decrevisse sacram congregationem Concilii, approbante Sanctissimo, refert Fagnan., *loc. cit.*, num. 39, ubi subjungit, quod et sacra congregatio Episcop. et Regul. declaravit, sacerdoti missam novam celebranti licere oblationes accipere, modo non discedat ab altari, ut in *Januen.* 2 Octobris 1601, in registro originali, fol. 96. (30. Et tales oblationes factæ novis sacerdotibus, dum celebrant primas missas, quæruntur ipsis, et non parochi, quia sic habet ubique locorum consuetudo, et talis est mens et voluntas offerentium; Fagnan. *loc. cit.*, num. 37 et 38, cum pluribus ibi citatis, et alii passim sic docente praxi ubique recepta.

(31. De primo ad ultimum in materia oblationum attendenda est legitima locorum consuetudo, et mens, seu voluntas offerentium. Rota, par. v *dec. Rec. t. I*, dec. 37,

n. 13; Barbosa, *De offic. et potestat. parochi*, part. III, c. 24, n. 31, et lib. III *Juris eccles. univers.*, cap. 23, num. 31, cum pluribus ibi citatis, Fagnan., *loc. cit.*, num. 24, 36, 37, 38 et seq., et alii communiter, et patet ex dictis supra num. 14 et 15.

(32. Oblatio major in alienatione bonorum ecclesiasticorum semper recipitur, quando actus non est perfectus, id est quando nondum est factum instrumentum alienationis cum beneplacito Apostolico jam obtento, et exsecuto ab exsecutore. Beneplacita enim apostolica conceduntur solum cum clausula: « Si in evidentem utilitatem Ecclesiæ. » Sic expresse eruditissime docet more suo eminentissimus cardin. Petra, tom. I *Commentar. ad constit. Apostolicas*, in constit. 1 divi Leonis Magni, sect. 3, num. 37, cum cardinal. de Luca, Salgad., Riccio, Del Bene, et aliis ibi citatis, Sabell., in *Repertorio*, vers. *Subhastatio*, num. 11, et plurimi alii ab ipso relati.

(33. Oblatio major habet locum in re vendita in concursu creditorum. Hoc enim privilegium majoris oblationis in tali concursu æque, et juste admittendum est ratione utilitatis deferendæ ipsis creditoribus, ut quantum fieri potest majori eorum indemnitati consulatur. Salgad., in *Labyrinth. credit.*, part. I, cap. 2, num. 12; Riccio, in *Collect.* 1726, vers. *Limita* 3; Ridolphin., in *Praxi*, par. I, cap. 13, num. 127 et seq.; Thor., in *Compend. decis. regni Neapol.*, verb. *Obligati*; ubi de judicato sacri concilii card. Petra, *loc. cit.*, n. 38, et alii.

(34. Oblatio major in casu, quo habet locum in venditionibus, non requiritur, ut sit in sexta parte, sed sufficit quæcunque, ad differentiam læsionis post contractum. Interveniens enim læsione in sexta parte, datur remedium restitutionis in integrum, quod non evenit in nostro casu; alias si oblatio deberet esse ad terminos læsionis, hoc non esset privilegium, quod tamen hic admittitur ab omnibus supracitatis communiter cum cardin. Petra, *loc. cit.*, num. 37 et 40.

(35. Oblatio major nunquam admittitur post perfectum actum venditionis; quia tunc jam contractus est completus, et effectus, nec res amplius est integra, ut possit admitti nova major oblatio. (36. Actus autem non dicitur plene perfectus, nisi sit factum alienationis instrumentum cum beneplacito Apostolico jam obtento, et ab exsecutore exsecuto, de consensu partium in actu stipulationis instrumenti. Cardinal. Petra, *loc. cit.*, num. 41 et 44, et alii passim.

(37. Oblationis novæ privilegium post extinctam candelam conceditur minoribus; l. *Et sine dolo*, § *Quæsitam*, ff. *De minorib.* Ecclesia autem potest uti omnibus privilegiis minorum, adeoque potest etiam ipsa illo uti, vel post extinctam candelam per tantum temporis, vel post 40 dies. Cardinal. Petra, *loc. cit.*, num. 36; Salgad., *loc. cit.*, num. 17; de Luca ad *Gratian.*, discept. 479, num. 3, et alii communiter.

(38. Oblatio major quando admittitur in venditionibus rerum ecclesiæ, semper primus emptor habet prælationem pro eodem pretio. Sic expresse sac. cong. Concil. in *Neapolitana pro PP. tertii ordinis S. P. Francisci*, die 17 Augusti 1697, in qua responsus fuit: « Ad mentem eminentiss. præfeti pro concessione domus majori oblato, data tamen prælatione pro eodem pretio primo emptori. » Et idem confirmavit die 28 Septembris 1697, persistendo in dec., et 23 Novembris ejusdem anni 1697, teste card. Petra, *loc. cit.*, num. 42.

(39. Oblatio major admittitur, etiamsi fuerit initium instrumentum venditionis cum reservatione beneplaciti Apostolici, donec hoc subsequatur; quia licet fiat instrumentum venditionis, si reservetur beneplacitum Apostolicum, quoadusque hoc obtineatur, actus est nullus, et sine vigore, adeoque interim sine difficultate est locus novæ majori oblationi. Card. Petra, *loc. cit.*, num. 42; cardin. de Luca, *De alienat.*, discurs. 12, et alii passim.

(40. Imo oblatio major admittitur, etiamsi sit jam expeditum beneplacitum Apostolicum in forma commissoria, et nondum ab exsecutore sit executioni demandatum; quia donec ab executione non proferatur sententia, et executioni demandetur, res adhuc remanet integra, adeoque in majorem Ecclesiæ utilitatem potest et debet interim admitti nova major oblatio. Card. Petra, cit. n. 42, et card. de Luca, cit. discurs. 12, et alii.

(41. Insuper oblatio major habet locum etiamsi fuerit concessum beneplacitum Apostolicum, et exsecutum, cum facultate vendendi pro certo pretio certæ et determinatæ personæ; quia semper est locus novæ majori oblationi, donec actus sit perfectus, et completus; ad perfectionem autem, et complementum actus requiritur consensus partium in actu stipulationis instrumenti. Card. Petra, *loc. cit.*, num. 44, et alii. Et ad id videtur facere resolutio S. congr. Concil. in *Urbinate*. 8 Maii et 24 Julii 1734, apud *Thesaurum resolutionum sacræ congr. Concil.*, tom. VI, quæ resolutiones præstant Venetiis apud Joann. Baptistam Recurti.

(42. Oblator secundus, quando præfertur in emptione bonorum ecclesiasticorum, tenetur reficere expensas primo emptori pro beneplacito impetrato, illiusque executione. Cardin. de Luca, cit. discurs. 12; card. Petra, *loc. cit.*, num. 43, et alii.

(43. Oblationum, vel eleemosynarum in oratorio collectarum nequit parochus administrationem exercere, vel clavem capsulæ pro illis conservandis expositæ retinere. Sac. cong. Concil. in *Novarien. aggregatio* nis 24 Sept. 1718, ad septimum dub., apud *Thesaurum resolutionum sacr. cong. Conc.*, tom. I.

(44. De oblationibus a fidelibus exteris, et non parochianis oratorio rurali B. M. V. relictis, nulla parochi portio debetur. Sac. cong. Concil. in *Tarantasiens.* 22 April. 1719

ad 5 dub., apud dict. *Thesaurum*, tom. I.

(45. Oblationum ad imaginem spectantium administrationem spectare ad parochum una cum œconomio ecclesiastico ab ipso episcopo deputando, vel in casu vacationis episcopatus a metropolitano, rescripsit sac. cong. Concil. in *Portugallien.* 11 Januarii 1727, ad 3 dub., apud dict. *Thesaur.*, tom. IV.

(46. Oblationum factarum confraternitati administratio spectat non ad rectorem ecclesiæ, sed ad præfectum confraternitatis; ita tamen ut de eis rationem episcopo reddat. Sac. cong. Concil. in *Cusent. capellæ* 3 Decembr. 1729, ad 4 dub., apud dict. *Thesaur.*, tom. IV.

(47. Administrationem oblationum propriam esse rectoris Ecclesiæ, in qua illæ fiunt, excluso etiam parochi, fusc probat card. Petra, tom. II *ad constit. 1 Anastasii IV*, sect. 2, num. 20; et statuit sac. cong. Concil. in *Asculana jurium et functionum parochialium* 29 Augusti 1733, ubi ad 4 dub.: « An eidem rectori debeantur oblationes, seu eleemosynæ colligi solitæ in dicta villa Tini, seu in oratorio prædicto, et an valeat in illarum administrationem se ingerere absque licentia, et consensu dicti parochi? » Respondit: « Ad 4: *Affirmative* quoad oblationes et eleemosynas in oratorio, ita tamen ut ratio reddatur episcopo, et dictæ eleemosynæ convertantur in usum et cultum illius ecclesiæ cum approbatione ejusd. episcopi. » Sic apud dict. *Thesaurum*, tom. VI.

(48. In *Hyeracen.*, ad dubium: « An, et ad quem spectet deputatio capellanorum et eremitarum pro servitio Ecclesiæ S. Mariæ de Popsis, et respective procuratoris pro administratione eleemosynarum, seu oblationum, de quibus agitur in casu? » Sac. cong. Concil. 30 Maii *respondit*: « Spectare ad abbatem sub obligatione reddendi rationem episcopo, a quo visitari etiam possit ecclesia jure saltem delegato, et quoties id sibi in Domino videbitur expedire. » Sic apud dict. *Thesaurum*, tom. XXI.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(49. Oblationes ex consuetudine quantumvis vetusta necessarias evadere haud posse, tenet Jacobus de Lalande, in *Prolegomen. ad tit. decretal. de decim.* relatus in vol. IV *Novi Thesauri Meermannii*, verbis hisce: « Verumtamen hic posterior casus mihi admittendus esse non videtur, quia oblationes sui natura voluntariam omnino præstationem continent, et in Christianismi cunabulis tales institutæ fuerunt, ut donantium arbitrio, et liberalitati relinquerentur, cujus rei probatio facilis et expedita est. Justinus martyr de his sermonem faciens in apologia secunda ita loquitur: « Qui per facultates possunt, et volunt, pro arbitrio quisque suo, quod lubet, donant. » Non minus expressa sunt verba Tertulliani in loco superius laudato, quæ propterea hic subjiciam: « Etiamsi quod archæ genus est, non de honoraria summa quasi a demptæ Religionis congregatur, modicam

« unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit et si modo velit et si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. » Ibi narrat Tertullianus quæ pietatis opera suo tempore christiani in ecclesiis cœtus agentes exercerent et inter cœtera oblationum meminit, quæ ex sola beneficentia proficisci manifeste declarat, consequenter temporis diuturnitate in necessitatem converti nequeunt. Et huic sententiæ convenit id, quod vulgo dicitur præscriptione non acquiri ea, quæ sunt meræ voluntatis, nec ex spontaneis actibus quasi possessionem induci.

(30. At recedendum haud est a sententia illa communi, quod oblationes consuetudine legitime præscripta evadant necessariae, quam, ultra doctores relatos ab auctore, num. 11, tenuit Rota in Cracovien. præstationis lignorum 30 Junii 1749, § 2, et 20 Aprilis 1750, § 1, coram illustriss. Caprar. almæ Urbis gubernat., modo tamen eæ admistam habeant causam retributionis, ut sunt illæ, quæ fiunt parochio ecclesiæque parochiali, qualis erat casus mox allegatarum decisionum.

(31. Quæstionis vero est: « An oblationes difformiter præsitæ, consuetudine necessaria evadere queant? » Hæc autem distinctio placuit Rotæ in mox allegata prima decisione

OBREPTIO.

Vid. verb. RESCRIPTUM, n. 28 et 29.

OBSERVANTIA VANA.

Vid. verb. SUPERSTITIO, a n. 44 ad 64.

OBSTETRICES.

SUMMARIUM.

1. Obstetrices unde dicantur? — 2. Obstetrices ex officio tenentur sub mortali discere formulam, et modum baptizandi. — 3. Hinc in pluribus diocesis obstetrices, antequam admittantur ad hoc officium, præstant juramentum procurandi salutem spiritualem sobolis, et puerperæ. — 4. Et in aliis traditur obstetrices debere esse in primis ab ipsis parochis et potestate sæculari approbatas. — 5. Unde parochi tenentur ipsas obstetrices diligenter examinare: et si non sciant jam esse examinatas et approbatas ab aliquo bene perito, peccant graviter cas non examinando. — 6. Baptizati ab obstetri-

(1. Obstetrix dicitur ex eo quod obsistat dolori; vel certe pignori, ne laxatis uteri genitalibus claustris, in terram defluat. Sanctus Ambrosius, *Oper. moral.*, epist. 46, ad Siagrium fol. 234, impressionis Romanæ anni 1585.

(2. Obstetrices, quæ obstetricantur ex officio, tenentur sub mortali discere formulam, et modum baptizandi, quia ex tacito pacto ad id obligantur; non enim admitterentur ad hoc officium obeundum, nisi tacite se obligarent ad baptismum rite ministrandum in tam frequentibus casibus necessitatis. Navarrus in *Manual.*, c. 22, n. 6, cum Paludano, et S. Antonino ibi citatis; Reginald., lib. xxvii, n. 45; Henriquez,

§ 7: « Quod nimirum (sunt ejus verba) tum demum consuetudo vires exercere nequiret ad obligationem inducendam etiam in futurum, si difformitas annuæ præstationis consisteret in ipsa specie, ut puta, si uno anno datum fuisset oleum, alio vinum, alio frumentum et sic deinceps alia hujusmodi, et ratio est, quia ex actibus difformibus in specie et sic in ipsa substantia, nulla oriri valet obligatio, nullaque possessio efficax potest emergere; secus autem quando, prout hic, non agitur de difformitate in ipsa specie, sed solummodo de difformitate respectu quantitatis, etc., quibus in terminis difformitas nihil officit efficacis consuetudinis, ut obliget etiam pro tempore futuro eam ob prævalidam rationem, quia licet variatus fuerit modus, seu quantitas annuæ præstationis lignorum, species tamen semper fuit una et eadem. Unde sicuti quoad speciem, quam plus et minus non variant, consuetudo dubio procul uniformis deprehenditur: ita hoc sufficit, ut quilibet ex incolis villæ Podolsze, juxta propriam possibilitatem quotannis ligna proprio parochio in posterum tradat, prout antea per diuturnum temporis spatium tradere consuevit. » Confer etiam de hac distinctione de Marin., *Resolut. jur.*, lib. ii, cap. 81, n. 21 et seq.; Lagun., *De fructib.*, cap. 33, n. 124 et sequent.

cibus quando sint rebaptizandi, vel non, sub conditione? ad n. 7. — 8. Obstetrices, quæ aliquem infantem baptizaverint, sunt a parochis diligentissime examinandæ, an rite, vel non, ipsum baptizaverint; et si repererint ipsas rite baptismum contulisse, non debent, nec possunt ipsum repetere; si vero probabiliter dubitent, debent baptismum sub conditione repetere. — 9. Obstetrices Ægyptiæ in responsione data Pharaoni pro salvandis ab interfectione infantibus Hebræorum, non sunt culpabiliter mentitæ. — 10. Alia ad rem ibi. — 11. Subnect. *Addit. ex aliena manu*, ad n. 15.

lib. ii, cap. 29, num. ultim.; Gobat, tom. I, tract. 2, cas. 5, n. 157; La Croix, lib. vi, part. i, n. 270. Aliique multi cum Aversa q. 67, sect. 2, § Teneri.

(3. Hinc in pluribus diocesis, et signanter in Leodiensi, et Trevirensi teste Chapeauville, *De modo administrandi sacramenta tempore pest.*, cap. 2, q. 2, et Gobat., *loc. cit.*, quando obstetrices admittuntur ad hoc munus, juramentum emittunt procurandi salutem spiritualem sobolis et puerperæ. (4. Et in Obsequiali Constantiensi, fol. 62, traditur, obstetrices debere esse in primis ab ipsis parochis et potestate sæculari approbatas.

(5. Unde parochi tenentur ipsas obstet-

trices diligenter examinare, et si non sciant jam esse examinatas et approbatas ab aliquo bene perito, peccant graviter eas non examinando, quia cum obstetrices in tali casu sint vicariæ parochi, et quisque obligetur scire, utrum suum locum tenens sit peritus officii sui, necne, stat clarum maxime ad id sub gravi teneri parochum ad indagandam peritiam obstetricum pro officio tantæ necessitatis; Quintanadvenas, *Singular.*, tract. 1, singular. 6; Gobat., *loc. cit.*, n. 169; Layman, lib. v, tract. 2, c. 5, n. 3, cum aliis ibi citatis; et certe omnes fere constitutiones synodales sub gravi videntur id oneris parochis imponere, ut signanter novissime fuit recte impositum in hac synodo Alexandrina celebrata die 1, 2, 3 Maii 1732, ubi, tit. 6, *De baptismo*, sic præcise statuitur: « Oneratam parochorum conscientiam volumus, qui exactissime certo tempore obstetrices non examinent, quæ perfecte callere debent, et mente retinere modum baptismum rite conferendi. »

(6. Baptizati ab obstetricibus sunt rebaptizandi sub conditione, si obstetrices sunt suspectæ de veneficiis, aut aliquando confesse, se non rite baptizasse, vel si a parochio examinata, qua materia, forma, et quas corporis partes baptizaverint, non satis constanter respondeant, aut si aliunde oriatur probabile dubium de valore baptismi ab ipsis collati. *Communis*, argum. cap. *De quibus dubium est* 2, *De baptismo*, ubi sic expresse habetur: « De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, etc.* » (7. Sic enim et consulitur reverentiæ sacramenti, et salutis animarum. Si vero nullum sit dubium de valore baptismi ab ipsis collati, ex quo diligenter a parochio examinata, reperiantur bene perita, et rite adhibuisse debitam materiam, formam, et intentionem, non sunt rebaptizandi, ab ipsis obstetricibus sic rite baptizati, cum baptismus rite collatus, neque sub conditione debeat iterari, ex quo sit de sui natura irreiterabilis, ex cap. *Majores* 3, *De baptismo*, Concil. Florent. in *Litteris Unionis*, et Trident., sess. vi, can. 9, sic tenent doctores communiter.

(8. Hinc obstetrices, quæ infantem aliquem baptizaverint, sunt a parochis diligentissime examinandæ, an, et quomodo, quibus verbis, et forma, qua materia et aqua, et cum qua intentione baptizaverint; et si rite repererint fuisse a dictis obstetricibus collatum baptismum, non debent, nec possunt ipsum repetere; si vero

probabiliter dubitent, debent baptismum sub conditione repetere: *Catechism. Roman.*, part. ii, cap. 2, § 43, et sic solent statuere constitutiones synodales, ut recte statuunt illæ diocesis Constantiensis part. i, tit. 6, n. 4, ibi: « Examinent diligentissime parochi, aut eorum socii obstetrices, vel alios, qui infantem aliquem baptizarunt, an, et quomodo, quibus verbis et forma, qua materia et aqua, et cum qua intentione baptizaverint. Quod si debitam materiam, formam, et Ecclesiæ institutionem adfuisse cognoverint, parochi baptismum ab obstetricibus collatum minime repetant; si probabiliter dubitent, baptismum cum conditione conferant. »

(9. Obstetrices Ægyptiæ respondendo (*Exodi* i, 19) Pharaoni: *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt*, non sunt culpabiliter mentitæ; vide verb. *MENDACIUM*, a n. 14 ad 18; ubi tamen etiam citatur S. Augustinus, qui eas peccasse censet, eique S. Thomas 2-2, quæst. 110, art. 3, ad 2, subscr. bit.

(10. Alia ad rem, confer, quæ cohærenter hic dictis habet Benedictus XIV, *De synodo diocesis.*, lib. vii, cap. 6, n. 4, et *Instit. eccles.*, 8, § 6.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. In judicio nullitatis matrimonii ob impotentiam alterutrius conjugis, tum in illo dispensationis super matrimonio rato, et non consummato, disseri solet de viribus relationis obstetricum.

(12. Ex sententia autem multorum, si obstetrices referant de virginitate mulieris, adhibitis consuetis experimentis, probata remanet non consummatio matrimonii. At si referant de virginitatis defectu, minime consummatio matrimonii remanet probata, quum virginitas amitti ex aliis causis possit, quam ex matrimonii consummatione. Confer Bohemer., in *Decretal.*, lib. iv, tit. 15, § 26 et plur. sequent.; Sanchez, *De matrim.*, lib. vii, disput. 9, n. 16; Pacian., *De probat.*, lib. ii, cap. 2, num. 22, ad plur. sequent.; Sperel., dec. 141, n. 37.

(13. Falluntur ergo, qui septem obstetrices requirunt. Licet enim in cap. 4, *De probat.*, habeatur septem obstetrices inspectioni adfuisse; hoc tamen tantummodo refertur, atque narratur, non item per modum necessitatis præscribitur, ut tradunt communiter canonistæ in dict. cap. 4, *De probat.* Grananiet., n. 7; Gonzal., n. 4; Bohemer., in *Decretal.*, lib. iv, tit. 15, § 27; Pacian., *De probat.*, lib. ii, cap. 2, n. 4; Sperel., dec. 4, n. 4.

OCCASIO PECCANDI.

SUMMARIUM.

1. Occasio peccandi est duplex, scilicet proxima et remota, et quæ sit utraque? — 2. Eadem occasio, quæ uni, attentis circumstantiis, est proxima, alteri, et etiam eidem ipsi, sine dictis circumstantiis est remota. — 3. Sicuti occasio, ita et periculum

peccandi est duplex, scilicet proximum, et remotum, et quid sit utrumque? — 4. Periculum, seu occasio quare dicatur proxima? — 5. Periculum proximum aliud est formale, et aliud materiale, et quid sit utrumque? — 6. Idem periculum potest esse respectu unius formale, et respectu alterius solius